

unt saecula,
innixa Numine!
ulsavit Barbaris
erra Africa,
cent tentoria,
nitescant pectora,
to se discipulos ...
ant, sunt in saecula!
nfortunium;
erperserunt perfidae,
uit periculis.
irorum pravitas!
t adgressi studiis
s et fallaciis.
ervaserunt rapidi;
nilitum,
versant aedibus;
nos sedulo.
s deterruit.
heritis,
epidis Volterius,
fer ille Gallicus,
per qui Pontifices.
duit veritas!
mentum fabulae,
am vacivis auribus.

S I.

A I.

*Hinc inde complu-
t longe moenia recen-
bararis defendendam
pauperiores cernun-
tium. TRES MILITES,
haec inter se collo-*

*imus tuto conquie-
scere,
in utrumque oculum.*

*m).**NARI, Sponsor.**LOTTIS VATICANIS.*

ALMA ROMA



QVIDQVID NON
POSSIDET ARMIS
RELLIGIONE
TENET

C. DEL VECCHIO



NUMMARIA MENSA ROMANA

(BANCO DI ROMA)

SOCIETAS ANONYMA EX SOLUTA SUMMA LIBELL. 150.000.000

Sedes caput et suprema gubernatio Romae in propriis aedibus
Corsio Umberto I, N. 307 (Piazza S. Marcello)

Sedes aliae:

In Italia: Alba - Albano Laziale - Anagni - Andria - Anzio - Aquila - Arcidosso - Arezzo - Ascoli Piceno - Assisi - Aversa - Avezzano - Bagni di Lucca - Bagni di Montecatini - Bari - Benevagienna - Bergamo - Bibbiena - Bologna - Bolzano - Bra - Brescia - Cagliari - Camaiore - Campiglia Marittima - Canale - Canelli - Carate Brianza - Carloforte - Carrù - Castellamonte - Castenuovo di Carfagnana - Castiglion Fiorentino - Catania - Cecina - Celano - Centallo - Ceva - Chiusi - Città di Castello - Colle Val d'Elsa - Como - Cortona - Cotrone - Cremona - Cuorgnè - Fabriano - Fermo - Figline Val d'Arno - Firenze - Foiano della Chiana - Foligno - Fossato - Frascati - Frosinone - Gaiole in Chianti - Gailicano - Gallipoli - Genova - Grosseto - Gubbio - Intra - Ivrea - Lecce - Livorno - Lucca - Luserna S. Giovanni - Marciana Marina - Merano - Messina - Milano - Modica - Mondovì - Monteleone Calabro - Montesampietraneli - Napoli - Nardò - Nocera Inferiore - Norcia - Novi Ligure - Oneglia - Orbetello - Orvieto - Pagani - Palermo - Pallanza - Pietrasanta - Pinerolo - Piombino - Pontecagnano - Pontedera - Popoli - Portoferraio - Porto S. Giorgio - Potenza - Pratola Peligna - Roma - Salerno - S. Maria degli Angeli - Sansevero - Segni (Scalo) - Siena - Siracusa - Tagliacozzo - Tivoli - Torino - Torre Annunziata - Torre dei Passeri - Torre Pellice - Trento - Trieste - Velletri - Viareggio - Viterbo.

Apud Italicas colonias: Bengasi - Tripoli.

Apud exterbas gentes: Parigi, Lione in Gallia - Barcellona, Tarragona, Montblanch in Hispania - Lugano, Chiasso in Helvetia - Alessandria, Cairo, Port Said, Mansourah, Tantah, Beni Mazar, Beni Soueff, Bibeh, Dessouk, Fashu, Fayoum, Kafr El Cheikh, Magagha, Mehalla Kebira, Minieh, Mit Gamr, Zagazig in Aegypto - Malta in insula Melita - Aleppo, Beyrouth, Caiffa, Damasco, Giaffa in Syria - Gerusalemme in Palaestina - Costantinopoli in Turcarum imperio - Smirne, Scalanova, Sokia in Asia Minore - Rodi in Aegeo mari.

¶ Omnia pertractantur quae propria Mensae Nummariae sunt. ¶

Pro "ALMAE ROMAE,, Sociis

apud Commentarii Administratorem opuscula latine scripta venum dantur,
 pretio quod sequitur:

JOSEPHI FORNARI **Fridianus** et **Francisculi prandum**, Milesiae fabulae scenis accommodatae apud ephebea facile agendis. - Singulæ lib. 1,25; ambae lib. 2.

HERMINII IACOBELLI **In campo latinitatis novi flores.** - Si tegumento solut. lib. 2; si xyлина structura aureoque titulo, lib. 3.

I. B. FRANCESIA **Saturio, Euplius, Ad Romam**, Actiones dramaticæ. - Singulæ lib. 1,25; omnes lib. 3.

I. ANTONELLI-COSTAGGINI **Arrhae Gorgoniae**, Milesia fabula. - Lib. 1.

AL
LATIN

Premium annuae sub
doll. 2,40; sh. 1
rem, Romam, V

DE RECENTI S


Itali, rebus in p
praesertim, prud
bere deberent, u
atrocissimo bello
runt. Hoc erant
nova hominum
consiliis imbuta,
saepe sententiis,
gnant, in municipi
bus disiectis, puls
et ubique improv
prima rerum gu
pulos quoque ins
rum atteri, atqu
ut spem victoriae
compita, per con
nituntur, omnia c
beris animis.

Ad municipia
giis se se contul
provincias, in qua
demum spiritus
populumque sum
ipsa republicae r
quoniam rebus h
in immensum cre
atque alia movere

ALMA ROMA

LATINITATIS PRAECONIUM SINGULIS MENSIBUS EDITUM

Pretium annuae subnotationis (fasc. 12) est in Italia libell. 9; ubique extra Italiam libell. 12 (fr. 12; doll. 2,40; sh. 10, etc.); ante solvendum rectoque tramite mittendum ad IOSEPHUM FORNARI doctorem, *Romam, Via del Governo Vecchio, 96.*



DE RECENTI SOCIALISTARUM SECTA

Itali, rebus in pace compositis, eo omnes, praesertim, prudentiorum iudicio, incumbere deberent, ut damna repararent, quae atrocissimo bello, victores licet, pertulerunt. Hoc erant in votis. At *Socialistae*, nova hominum societas pravis omnino consiliis imbuta, magna vi ac dissimulatis saepe sententiis, omnia animose expugnant, in municipiis, in foris, certaminibus disiectis, pulsisque ante se adversariis, et ubique improvisi, ubique insistentes, ad prima rerum gubernacula irrumpunt. Populos quoque insimulant avaritia beatorum atteri, atque ita fallaciis instruunt, ut spem victoriae accendant. Per foras, per compita, per conciliabula ad imperium nituntur, omnia quaeque adgrediuntur liberi animis.

Ad municipia primum popelli suffragiis se se contulerunt, mox in quotquot provincias, in quas est omnis Italia divisa; demum spiritus alacriores sustollendo, populumque summo ore portendentes, ad ipsa reipublicae negotia contenderunt. Et quoniam rebus hactenus prospere gestis, in immensum creverunt animi, iam alia atque alia movere, atque adeo summas

regni sedes invadere decreverunt. Nova ab ipsis quotidie pericula regno nostro conflantur, quibus nihil est antiquius quam ut, regio nomine deleto, rebus publicis insideant.

In tam praecipi rerum conversione, iam non timidi, sed procaces ac perfri-
cata fronte, omnium disciplinarum penitus expertes atque ignari, iam non cives, sed pene hostilis exercitus ad Urbem adesse videntur.

* *

Sed quaenam fuit quaestio, quae tanta causa fuit, quae tam magnum excitavit incendium? Fuitne improvisa haec magna malorum series?

Iam inde ab anno saeculi elapsi quinquagesimo primo Aemilianus Avogadro Comes e Motta in Subalpinis, vir clarissimus multisque litteris praeditus idemque orator popularis, volumen in vulgus edidit, cui erat italice titulus: *Saggio intorno al Socialismo*.

Hic vir, qui Dei amorem et religionis studium cum perpetua in egenos liberalitate coniunxit, divino veluti instinctu afflatus, effrenata recentium populorum studia praesensit, et turbas tunicati popelli insurgentis praesagiens, ex aliorum infor-

- Arezzo - Ascoli
- Benevagienna -
-iglia Marittima -
di Carfagnana -
i Castello - Colle
igline Val d'Arno
pianti - Gailiano
- Luserna S. Gio-
teleone Calabro -
neglia - Orbetello
nano - Pontedera
- S. Maria degli
Torre Annunziata

ch in Hispania -
azar, Beni Soueff,
it Gamr, Zagazig
ria - Gerusalemme
Minore - Rodi in

ne sunt.

ociis

enum dantur,

m, Milesiae
s. - Singulae

. - Si tegu-
lib. 3.

iones drama-

cula. - Lib. 1.

tunio Italos monitos volebat, ut religionem ad pristinam dignitatem revocarent, et pauperum acerbitatibus subvenientes, nostrorum opificum domini antiquorum vestigia relegentes, opifices quibus praecrant, paterna caritate et maxima quoque aequitate, rebus in prosperis arduisque, prosequerentur.

Ad hoc ceterarum gentium iubebat respici exemplum, apud quas plebs prava quorumdam magistrorum iactantia adlecta, omnia liberius tentabat atque adversariorum certamina aspernata, vel ipsa iura principum ac maiestatem non expavescerat armorumque formidinem, certa iam cuique se obiectare periculo, quam vel tantillum ab postulatis recedere. Hinc civium copiosus Germanorum crux per urbes effundi, hinc Gallorum impotens furor servere in opificum dominos. At vero parum secunda bonorum initia infeliores eventus fuerunt consecuti.

Quum primum haec in Gallia atque in Germania agitari copta sunt, omnium fere imperiorum quietem perturbarunt. Namque innocua aestimabantur philosophorum placita, quae in scholis modo agitabantur. Sed ipsa ab incautis ad multitudinem illico traducta, dum factiosi homines, callide iisdem abutentes ad libidinem explendam, atroces passim in regum omniumque dominantium maiestatem furore coorintur. Superbiam hi modo beatioribus, modo nimis honores, palatia, commoda quaeque exprobrant, communem suam miseriam queruntur, repentinorum hominum divitias subitas dolent, et libertina ipsi audacia praediti, omnia quaestui habentes, aliorumque domibus atque agris, uti ex hostibus praedae palam nec iam occulte inhiant.

Nec vero amplius in scholis haec novandi libido se continet, sed longe lateque initiae fuerunt societas arctissimae, corruptaque hominum sententiae, quo impunitus liceat.

Hinc illa malorum labes apud omnes gentes manavit, hinc dissensionum multipliciter semina prolata, et partes partibus satae, furore, metu, ambitione undique arma subministrantibus.

Quid hinc? Italia, id est « quod mare supra, quodque alluit infra » multis aerumnis laborans, pacem atque abundantiam quaerit; sed frustra. Quam apte de ipsa dices:

*Infirmæ es similis, quæ hand quid requiescere lecto
Et se vertendo saepe, levare putat.¹*

* *

Quod vero olim poëta acerrime Italiae imputare haud dubitavit, hac nostra aetate, optime recteque omni terrarum orbi adiudicandum esse censebis.

Quae enim natio, quae civitas, quae demum familia, nunc est in pace? Siluerunt utique teterrima bella in acie, pax fuit scriptis solemniter gentibus indicta, at omnes populi praecordiis lacerantur, et multis veluti pressi angoribus nova semper et alta avidissime cupiunt. Et quod maxime omnibus pertimescendum dicitur, recens adest ac terribilis pugnantium cohors, quae modo humilis atque spernenda parvique contenta, nunc quum optime se fortissimam reputet numeroque potentem, audacibus spiritibus abreptius tutior in aliena proripit, bona privatorum tamquam propria superbe praesumit, dominosque repellit. Haec opificum impotens societas a nefariis hominibus instincta, in frequentissimos vicos prope amens per vadit, agrorum possessores latrones oblatent, et alacres erectique per fora, per conciliabula liberrime volitant, et coniurati veterem rerum compagem laxare nituntur, qua civilis hominum consociatio continetur.

¹ *Vedrai te somigliante a quell' inferna
Che non può trovar posa in sulle piume,
Ma con dar volta suo dolore scherma.*
DANTE, Purg., c. VI.

Omnia se brevi obtenturos esse confidunt, atque elata voce alacres proclaimant. Namque acrius in proposito instantes, et malefica quadam magistrorum audentia imbuti, qui callide sub aliquam iuris speciem, eos pro iustitia pugnare suadent, post acerrimas clades, multumque cruentum utrimque effusum, priores tandem ob numerum evaserunt. Mira sane fortitudine asperrima quaeque sustulerunt, et ipsi pravae disciplinae ductores, maiori utique laude digni fuisse, si pro veritate dimicassent et propter iustitiam ludibria et carceres passi essent.

Iam ardet interea proximus Ucagemon!

Centum enim et quinquaginta oratores sunt qui tumultuantes potius in magno popularium conventu et magno clamore blaterante, salutem Italiae pertractant. Ipsi vero haud quae sunt facienda iubent, ne alii faciant obstinanter prohibent. Ni melius arguere possunt, otium generale imponunt cunctisque rebus magnum et inenarrabile impedimentum obstruunt. Ut Enceladus

*quoties pressum mutat latus, intremere omnia
Murmure Trinacriam et caelum subtexere fumo,*
identidem rectores suis imperant sociis, ut die dicta eademque hora ab opere inconsulto unanimiter cessent, et licet ubique crudelis luctus sit, ubique pavor, per fas et per nefas, pro eorum arbitrio, omnes eorum voluntatem gerere debent.

Quousque tandem?...

SENIOR.

De Catholica dogmatum notione

Vox δόγμα, a radice δοκεῖν, quod apparet quodve videtur, fuit apud scriptores profanos usurpata pro sententia, ordinatione, decreto. Quae acceptio etiam ab auctori-

bus sacris retinetur: sic S. Lucas *dogma* graece vocat edictum Caesaris Augusti ut describeretur universus orbis¹ et decretum concilii Hierosolymitani ab Apostolis celebrati.² S. Paulus dogmata praescriptionibus legis mosaicae opponit: « Legem mandatorum *decretis* (graece δόγμασι, dogmatibus) evacuans».³

Dogmata nunc, prouti exponunt S. Chrysostomus et Theodoretus (in h. 1.) doctrinam evangelicam audiunt, ita videlicet ut haec instituatur oppositio: Lex mosaica habebat praecepta, mandata; lex autem nova habet dogmata. Idem Patres aliquando intelligunt dogmata de *consiliis evangelicis*, quae sunt δοκουμένα, nempe fidelibus bene visa et accepta, seu optima.

Alibi, S. Paulus vocem illam applicat decreto seu sententiae a Deo contra hominem latae: *Delens chirographum decreti*,⁴ seu potius *decretis*, in graeco δόγματι. Deus nempe retrahit chirographum a sententia in nos prius lata, ipsamque tollit de medio et cruci affigit.

Haec est prima vocabuli acceptio. Verum dogmata apud philosophos vocabantur quoque doctrinae quaedam a certis scholis seu inconcussa principia receptae et admissae, teste Tullio: « Sapientia neque de seipsa dubitare debet neque de suis decretis, quae philosophi vocant δόγματα, quorum nullum sine scelere prodi poterit.⁵ Itaque dogma, iuxta Ciceronem, est doctrina quae prodi non debet, quaeque via sua intellectui imponitur, seu quam intellectus admittere debet.

Ambae illae acceptiones apud Patres occurunt. S. Ignatius Martyr dogmata appellat tum doctrinas fidei, tum leges morum a Christo et Apostolis promulgatas.⁶

¹ Luc., II, 1.

² Act., XLI, 4.

³ Ephes., II, 15.

⁴ Colos., II, 14.

⁵ TULLIUS CICERO, Quæst. Academic., II, 19.

⁶ S. IGNATH., Magnes., 13.

Clemens Alexandrinus et Origenes¹ nomine dogmatum intelligunt universum christiana discipline complexum, quae et dogmata fidei et dogmata morum habet; qui loquendi modus usque ad Marcelli Antyrani tempora perstitit.²

At deinceps vox « dogmata » credendis reservatur. Hinc S. Cyrillus Hierosolymitanus exponit quomodo religio Christi et piis dogmatibus et sanctis praxibus constet;³ et S. Gregorius Nyssenus refert Christum disciplinam suam in partem moralem et dogmaticam divisisse.⁴

Quae acceptio apud omnes ita invaluit, ut iam dogma significet veritatem revelatam, quae ab Ecclesia proponitur ut credenda fide catholica. Quocirca duo in notione dogmatis involvuntur, videlicet revelatio ex parte Dei et definitio ex parte Ecclesiae.

Quapropter dogma non est tota doctrina catholica, quippe quod nonnisi veritates revelatas et definitas spectat, dum doctrina catholica alias complectitur veritates, quas, tametsi non definitas, Ecclesia sive magisterio suo ordinario, sive praxi ac liturgia sua, profitetur, ut est Assumptio B. Virginis, etc.

Nec idem est dogma ac theologia. Obiectum enim dogmatis est veritas revelata *in se*, explicite nempe vel saltem implicite; theologiae autem obiectum est veritas *virtualiter* revelata, videlicet non *in se*, sed solum in principiis ex quibus est deducenda.

Dogmatis « evolutio » fit per clariorem et explicatiorem veritatis manifestationem, quem non concurrat vis ratiocinii propriæ dicti; in theologia autem conclusio e praemissis per verum et accuratum discursum

¹ CLEM. ALEXANDR., *Strom.*, VIII; ORIGEN., *Cont. Celsum*, III, 39.

² Cf. Eus., *P. G.*, XXIV, 756.

³ S. CYRILL. HIEROS., *Catech.* IV; *P. G.*, XXXIII, 453 ss.

⁴ S. GREGOR. NYSSEN., *Epist. XXIV*; *P. G.*, XLVI, 1089, A.

oritur. Theologia dogmata utique complectitur, sed insuper eorum scientiam tradit atque vim et indolem exponit et vindicat.

Unde historia dogmatum non est proprie historia theologiae, licet altera alteram requirat ad utriusque emolumentum. Sicut historia theologiae a viro etiam a catholicismo aliquatenus narrari potest, ita et historia dogmatum. Verumtamen, ut errores, in interpretando facta vel dicta, penitus vitentur utque vera illius historiae intelligentia plane attingatur, oportet ut theologico sensu ac spiritu induitus sit qui historiam sive dogmatis sive theologiae retexere tentat.

Imo, quia nonnulli timent ne locutione illa « historia dogmatum » aliquid minus catholicum et veluti peregrinum innuatur, ab illa adhibenda potius abstinent. Attamen potest recto sensu illa uti theologus, qui semper recolat historiam et evolutionem dogmatum sic esse intelligentiam, ut progressus sit solum transitus ab implicito ad explicitum, minime autem ut novus tribuendus sit sensus, aliis ab eo, quem intellexit et intelligit Ecclesia.

Quapropter in formula iuris iurandi quod praescripsit Pius X, *Motu Proprio* « Sacrorum Antistitum » mense Sept. MCMX, aptissime dicitur: « Fidei doctrinam ab Apostolis per orthodoxos Patres eodem sensu eademque semper sententia ad nos usque transmissam, sincere recipio; ideoque prorsus reiicio haereticum commentum evolutionis dogmatum ab uno in alium sensum transeuntium, diversum ab eo quem prius habuit Ecclesia; pariterque damno errorem omnem quo divino deposito, Christi sponsae tradito ab eaque fideliter custodiendo, sufficitur philosophicum inventum vel creatio humanae conscientiae, hominum conatu sensim efformatae et in posterum indefinito progressu perficiendae ».¹

¹ *Act. Apost. Sedis*, an. 1910, p. 670.

Sanctius itaque teneantur nostra dogmata, quam philosophorum dogmata, quorum tamen, teste Tullio, nullum sine scelere prodi poterit.

EDUARDUS HUGON, O. P.

SYLVIUS PELLICO

Annus hic labens est, mea quidem sententia, dignus admodum quod memoretur, quod abhinc centum annos, insignis ille musarum italarum decor, Sylvius Pellico, in dominantium calumniam lapsus, ingemiscitibus Italis, in tetterimum carcerem detrusus, miserrima quaeque per decem circiter annos passus est.

Hic, paene puer, at summa in patriam caritate affectus, ad conscribendas tragoeidas se conferens, mite ingenium est periclitatus, in argumentis pertractandis a patriae historia potissimum excerptis. Sic haud parvam gloriam brevi sibi comparavit, atque Italorum animos suscitavit, ut in suos respicientes iterum ad eorum splendorem studiis ac virtute adsurgentem.

Incredibili dictu est, quam breviter, subtili quoque arguento, patrum memoria agitabatur, qui suum poëtam, mirum in modum, adclamabant, et inter summos adnumerari haud dubitabant. Prae ceteris tragedia placuit, cui est titulus: *Francisca Ariminensis*.¹

Dum facilem sibi viam ad immortalitatem litteris sternit, omnesque ab Alpibus homines ad fretum Siculum concordes ore summum salutant sincerisque laudibus cumulant, tetterimum omnium fulmen, idest improvisa captivitas ac gravissima damnatio ad internecionem perduxit.

Haec autem odiosa tantorum malorum

colluvies non eum fregit, sed, mira Dei benignitate ad patientiam primum, mox ad gloriam erexit. Namque clarissimus hic vir, libertate orbatus catenisque obrutus, ad Moravos traductus, in custodia durissima detentus, invicta animi fortitudine et christiana aequitate omnia nobilissime mala in exemplum sustulit. Quae quidem e carcere demum dimissus, suorum rogatu, candidissime ac omnium suavissima dicendi ratione, admirantibus omnibus, enarravit. Etiamsi in posterum, ob novorum temporum hominumque tristitiam, minus esset in honore, omnibusque publicis muneribus exactus, cuncti tamen eum reverenter habebant atque summa admiratione prosequabantur.

Egomet audivi meisque oculis haud semel perspexi virum per Augustam Taurinorum modeste pedibus deambularem, digito ad invicem monstrari, et immortalē hominem gloriose salutari. Quoties patres vidi parvulis filiis admirati hominem signare, dicentes: « En, en, - aiebant, - poëta noster, qui tot pro patria est passus! En Italorum decus atque ornamentum! ». Ipse vero, nulla prorsus habita meritorum suorum ratione, novis modo in dies carminibus patriam honestans, eo omnino tendere videbatur, ut cives sapientia exornati ac religione, optimis praediti studiis atque virtutibus, ad iustitiam semper atque ad honestatem coram Deo et hominibus gloriose incederent.¹

Et nos, qui vel a pueris egregium valorem amare atque diligere prorsus didicimus, optimam secularem occasionem nacti, Sylvium Pellico, tot meritis inclytum ac nova in dies gloria praeclarum, laeti et gratulabundi ad Italorum mentem iterum iterumque portendimus.

SUBALPINUS.

¹ *Al vero, al bello, sempre Aspiri chi sortiva itale tempre.*
in carmine inscripto *Ad patriam*.

DE PULCHRI DEFINITIONE

Pulchrum propria definitione caret: definitio enim proprie et in se, ut omnes norunt, constat ex genere ac differentia proxima, quae suo generi extranea est, ideoque fit de rebus compositis. Pulchrum ex adverso est maxime simplex, transcendentalis, seu supra genera et species possum. Attamen loco generis proprii genus improprium ponitur, atque ita conficitur pulchri definitio.

Sicuti verum et bonum, ita etiam pulchrum ex triplici ratione potest distincte considerari; nempe sub *objiectiva*, *formali*, *subiectiva*; et ideo triplex fit pulchri definitio.

Si igitur obiectiva ratione consideretur, pulchrum ipsa res est in suo genere perfecta: ipsa res mirabilis in se spectata: aliis verbis, res integrata, proportione ac nitore formae praedita. Sub hac prima et « essentiali » ratione consideratum, pulchrum dicitur *fundamentale*, *entitativum*, *absolutum*, *ontologicum*....; convertitur cum ipsa re specifica accepta, cui nihil addit; atque definiri potest et solet: « Splendor debitae perfectionis - Splendor unitatis, veritatis, bonitatis - Claritas formae in re integra et congrua - Formae splendor supra partes materiae (obieci) congruentes, vel supra diversas vires, vel actiones». In qua quidem definitio, quae pulchrum in se, in sua natura, vel substantia declarat, tria elementa pulchrum constituentia, explicite vel implicite, includi debent: integritas nempe, proportio et formae claritas.¹

¹ Proportio, ut plurimum, integratem praeponit; ideoque haud absurde a nonnullis auctoribus proportio et formae claritas ut elementa constitutiva pulchri habentur, et unice in definitione ponuntur. (cfr. VALENSE, *Dell'estetica*, etc., vol. II, cap. III). Immo quia formae claritas rationem pulchri compleat elementumque differentiali exhibet, ipsa tantum sufficere potest ad pulchri definitionem tradendam.

Si autem ex formalis ratione consideratur, pulchrum aliquid est ratione distinctum a « rei entitate »; est ipsa relatio, habitus, conformitas, seu peculiaris ordo, quem ex natura sua res integre, congruens atque splendida ad « facultatem degustativam » habet, eiusque actum; aliis verbis ad intellectum contemplantem. Hac ratione consideratum, pulchrum dicitur *formale*, *specificum*, seu complens ac determinans ipsam pulchri rationem; a quilibet proprietate absoluta et relativa « entis » distinguitur, ac potest soletque definiri: « Ordo admirationis ac delectationis - Res admirabilis - Perfectio delectabilis - Conformatas admirationis ac delectationis ».

Ut patet, in his et similibus definitiis ipsa ratio exprimi debet, qua res dicitur pulchra; qua scilicet pulchritudo formaliter distinguatur ab uno, vero et bono, et a quavis alia « entis » notione. Relatio autem rei ad « facultatem degustativam » quid reale est, in rebus ipsis existens et essentiale pulchri originem repetit a natura divina; accidentalem autem radicem a natura rationali creata.

Si denique subiective consideratur, pulchrum aliquid offertur tamquam productum a « relatione terminante », ab apprehensiva nempe et indicativa facultate; prout videlicet elicitum invenitur in subiecto delectationem attингente: est ipsa admiratio ac delectatio in subiecto rationali existens; est effectus « actus degustativi »; est expressio pulchri in anima existens. Tum pulchrum appellatur *subiectivum*, *relativum*, *effectivum*; hoc est iuxta effectum suum consideratur; ideoque definitur: « Id quod visu (cognitu) placet. - Quod nos allicit et conciliat rebus, quas contemplamur. - Quod ad se trahit plausum et desiderium ». In his et similibus definitionibus pulchri effectus proprius maxime declaratur, nempe plausus, sive contemplatio, admiratio, iucunditas, delectatio subiecti degustantis.

Pulchrum igitur in se describitur:

a) per modum absolutum (in sua natura vel substantia): « Splendor formae in re integra et congruens »; aut brevius: « Splendor perfectionis debitae »;

b) per modum formalem: « Ordo admirationis ac delectationis »;

c) per modum subiectivum: « Quod admirationi placet ».

Atqui, secundum triplicem hanc rationem pulchri definitio haec esse potest: « Rei claritas, quae apprehensa delectat »; vel « Rei claritas contemplati delectabilis »; sive etiam: « Rei perfectio, quae a mente percepta, delectat ».

Consideratione sic habita de triplici ipsa pulchri ratione, doctissimorum hominum definitiones, una vel altera tantum ratione traditae, amice, ni fallimur, componi ita possunt, ut inutilium disputacionum causae evanescant. Exoptandum quidem magnopere est, ut in re tam gravi designat noxia illa verborum dissensio, quae etiam apud scriptores bonae notae ita inolevit, ut pulchrum veluti arcanum indefinibile exhibeat. Nos vero falsas et inconcinnas definitiones, quae huc illuc apud auctores pervagantur, referre et ad trutinam revocare praeterimus: per lucem enim constitutae a nobis definitionis quemque a fucatis pseudo-philosophorum dictis facile sese explicare posse confidimus.

G. LEPORE.

COMMUNIA VITAE

Nomina virorum
atque mulierum propria.¹

Macarius (Macareus) - Graec. - Felix.
Macrinus - Lat. - Gracilis.

Macrobius - Graec. - Vir diurnae vitae.

¹ Cf. num. mens. Iulii.

Machutus - Graec. - Victor.

Magdalena - Hebr. - Celebrata.

Malachias - Hebr. - Nuntius meus.

Malchius - Hebr. - Consiliarius.

Manasse (Manasses) - Hebr. - Oblivioni datus.

Manfredus (Manfridus, Fridus) - Teut. Vir pacificus.

Manilius - Graec. - Solutus.

Manius - Lat. - Mane natus.

Mannus (Manettus) - Teut. - Vir fortis.

Manricus - Teut. - Vir potens.

Maphoeus - Hebr. - Idem ac Mattheaeus.

Marcus - Hebr. - Perpolitus.

Marculfus - Teut. - Auxiliator illustris.

Margarita (et vulgo Ghita, Ita) - Teut.

- Valde celebris.

Maria (Marina) - Hebr. - Amplissimis muneribus ornata; et etiam Acerbitatis mare.

Marianus - Hebr. - Ex Maria, vel Mario.

Marius (Marinus, Mainus, Marinellus, Mainellus, Mairettus, Manielus) - Lat. - Ex mari.

Marsilius - Lat. - Belli tumultus.

Marsya (Marsyas) - Ex Phrygio flumine eiusdem nominis.

Martha - Hebr. - Lacessens.

Martianus (Marcianus, Martinus) - Lat. - Ex Marte.

Martyrius - Graec. - Testis.

Mathildes (Methildes) - Teut. - Nobilis socia.

Matthaeus (Mathias, et vulgo Teius) - Hebr. - Donum Domini.

Maurus (Maurilius, Mauritius) - Lat. - Africanus, Punicus.

Medardus - Teut. - Dominus felix.

Medericus - Teut. - Dominus fortis.

Meinardus - Teut. - Fortis, et V irtute praeditus.

Melania - Graec. - Nigra.

Melchior (et vulgo Marchionnus) - Hebr. - Excelsus.

Melissa - Graec. - Apis.
 Melitina - Lat. - Melle aspersa.
 Mena - Graec. - Luna, vel Mensis.
 Menander (Menandros) - Graec. - Vir fortis.
 Menelaus - Graec. - Populi fortitudo.
 Meroveus (Merovicus) - Teut. - Bellator insignis.
 Michaël (et vulgo Chellus, Chelinus, Chilinus, Ghilinus) - Hebr. - Quis ut Deus?
 Michol - Hebr. - Quid perfectum?
 Monaldus (Monardus, Modoaldus) - Teut. - Vir beatus.
 Monica - Graec. - Ex uno ungue (?).
 Morosina - Lat. - Fastidium afferens.
 Moses (Moyses) - Hebr. - Susceptus.
 Napoleon - Graec. - Silvestris leo.
 Narcissus - Graec. - Negligens.
 Nazarius - Hebr. - Disiunctus, et etiam Coronatus.
 Nemesius - Graec. - Ex Nemesi, iustitiae dea.
 Nereus (Nerius, Nerinus) - Graec. - Magnus.
 Neri (Nerías) - Hebr. - Lucerna.
 Nicanor (et etiam Nicetas, Nicetius, Nicias) - Graec. - Victor.
 Nicasius - Graec. - Victoriae assuetus.
 Nicephorus - Graec. - Victoriam affrēns.
 Nicodemus - Graec. - Victoria populi.
 Nicogenes - Graec. - Qui victoriam parit.
 Nicolaus (et vulgo Cola, Coccus) - Graec. - Victoria plebis.
 Nicomachus - Graec. - Miles discedens superior.
 Nicomedes - Graec. - Victoriae consilia praebens.
 Nicostratus - Graec. - Victor.
 Ninus - Hebr. - Pulcher.
 Noë - Hebr. - Quies.
 Noëmi (Noëma) - Hebr. - Pulchra.
 Norbertus - Teut. - Celebris in septentrionibus.
 Nympha - Graec. - Sponsa.

Obertus (Obertus, Aubertus) - Teut. - In rebus prosperis clarus.
 Odoacer - Teut. - Felix.
 Odofridus (Ofridus) - Teut. - Divitiarum defensor.
 Odo (Oddo) - Teut. - Dives.
 Olympius - Graec. - Caelestis.
 Onesimus - Graec. - Utilis.
 Onufrius - Teut. - Validum auxilium.
 Orestes - Graec. - Montanus incola.
 Origenes - Graec. - In montibus genitus.
 Orlando (Rolandus, Landus, Landinus, Landuccius, Tuccius, Raulus) - Teut. - Patricius illustris.
 Otho - Teut. - Excellens.
 Parisius - Graec. - Apud Isidem vivens.
 Parthenius - Graec. - Virgineus.
 Paschalis - Hebr. - Ex transitu.
 Pasiphaë - Graec. - Splendentissima.
 Patritius - Lat. - Nobilis.
 Paulus - Hebr. - In mutationem acceptus.
 Pelagius - Graec. - Marinus.
 Peleus (Pelinus) - Graec. - Ex palude.
 Penelope (Penelopa) - Graec. - Reiecta.
 Pericles - Graec. - Gloria illustris.
 Petrus - Hebr. - Lapis.
 Philibertus - Teut. - Clarissimus.
 Philippus (et vulgo Lippus) - Graec. - Qui equos diligit.
 Philomela - Graec. - Quae amat cantum.
 Philoxenus - Graec. - Hospitibus benevolus.
 Philotheus - Graec. - Deum diligens.
 Philotimus - Graec. - Diligens honorem.
 Phormio - Graec. - Sportella.
 Photinus - Graec. - Lucidus.
 Phyllis (Phyllides) - Graec. - Ex fronde.
 Polybius - Graec. - Vir diurnae vitae.
 Polycarpus - Graec. - Frugifer.
 Polymnia (Polynna) - Graec. - Laudissima.
 Pontius (Pontianus) - Graec. - Marinus.

Porphyrius - Graec. - Purpureus.
 Portius (Portianus) - Graec. - Vitulus.
 Posidonius - Graec. - Potum praebens.
 Posthumius - Lat. - Natus post obitum patris.
 Potitus - Lat. - Vi acquisitus.
 Prosdocimus - Graec. - Probatus.
 Pudens (et foem. Pudentiana) - Lat. - Modestia praeditus.
 Pyramus - Graec. - Ex grano (?).
 (Ad proximum numerum).

FORFEX.

**Othiliae Virginis
elapsis a beato eius obitu
saeculis duodecim**

(DCCXX - MDCCCCXX)

Audax Alsaticis surgit in Alpibus
Mons; hunc Altitonum prisca vocaverat
aetas; Othilianum
nunc appellat incola.
Gratum spirat ibi frigus, et urbium
nil corrupta nigris aura vaporibus;
huc secedit Hygea,
elusura caniculam.
Sublimi e specula splendida visui
affulget regio, nescia finium.
Qua sol occidit, alta
apparent iuga montium,
silvis umbriferis undique consita,
moles unde frequens emicat arcium,
partim diruta, priscis
formidabilis hostibus.
Qua sol exoritur, Rhenus adulterior
volvit caeruleas prata per herbida
undas, laetus amatam
ripam lambere gallicam.
Rheni gemma, nitet - cincta suburiis -
Argentina, sua Turre superbiens;
rus et fertile circum
pagis fervet et oppidis.

FRANC. X. REUSS.

*O tot nominibus Mons memorabilis,
sorti plade tuae, non tamen immemor
praecellentis honoris,
uni qui tibi contigit.
Cunas Othiliae namque sacerrimas
commisere tibi pristina saecula;
commisere sepulcrum
portentis celeberrimum.
Heic, qua castra patris densaque militum
olim constiterant agmina, classici
qua clangor strepitusque
armorum reboaverat:
virgo nostra, ducis filia bellici,
sacrum coenobium struxit, amabile
divae pacis asylum,
cuius sancta silentia
unus Davidicū rumpere sueverat
psalmorum gemitus, castaque turturum
vox audita, Sororum
echo fida canentium.*

*O Mons Othiliae, candida virginis,
dum vixit, statio; corporis et sacri,
saeclis a duodenis,
sedes inviolabilis!*

*Te pergit pietas scandere civium,
effusura preces festaque cantica
qua stant Othiliiana,
turbis cara, Sacraria.*

*Tuque a caelicolū respice sedibus,
Tutrix Alsatiae, nos tibi creditos
fratres, sanguine eodem
ortos, stirpeque Francica.*

*Laetas da segetes; da simul uberem
messem viticolis; te, precor, auspice,
morbus quisque fugetur,
caecus lumine gaudeat.¹*

*Per te, diva Fides usque stet integra
ac morum probitas! Degener Alsata,
si quis prodeat, orbem
amandetur in ultimum.*

¹ S. Othilia nata est luminis expersa, atque mirabilis in modum visum deinde habuit; itaque invocatur ab iis qui oculis laborant.

EX ITALIS URBIBUS

Insignis scholarum cuiusque professionis concursus apud Salesianos.¹

II.

In ipso Conventus atrio stant ordinatim positae multiplices variaeque machinae, a sapientibus passim, labentibus annis, in agricolarum commodum invectae. Est quae solum agreste a lappis tribulisque studiose polit; quae sulcum profundissime rumpit, quae demum semen in sulcis apertis industriose ponit. Haud ita procul machinam vides, quae foenum secat, revolvit; quae frumentum caedit, colligit, denique conterit. Haec omnia in primis magni pendunt, qui rem agrariam optime noverint, et illi qui tantum per visum tot commoda inventa recensent in agricolarum auxilium. Multi vero mecum, fama rerum modo advocati, hoc tacite admirantur magnum primum scholarum specimen, quas Salesiani, noto artificio, alumnis suis comparare consueverunt.

Vides propterea et opifices congregatim et agricolas vere artium magistros, qui, magna populi comitante caterva, singula laudantes, hoc insigne scholarum exemplum invisunt.

Et quod, hoc potissimum tempore labente, caput esse aestimo, quodque prae omnibus antea prope incredibile videbatur, haec hominum multitudo varia equidem atque intelligentis consilii, diversam opinionum sententiam in re civili ac religiosa sequuta, nunc sororio quodammodo vinculo consociata, una voce hunc hominem religiosorum concursum laudibus ad sidera tollit. Mirabile dictu! Inter spectatores adnumerandi sunt et tristissimae illius ephemeridis scriptores, quae quoti-

die venenum, currenti veluti flumine, inter opifices effundit! ...

— « Et nos, — conclamantes audivi, — qui omnium artium progressum alacriter gentibus portendimus, idem adgredi debemus! Hoc bonum, felix, fortunatumque!

— « Quid vetat? dixi; nihil mortalibus arduum! Vobisque, hisce temporibus, via maxima patet. Ut omnes vero ad virtutem contendamus, ut ad humanitatem iuvenes informentur, et vos simul illuc prosequi possumus.

Hi autem nomen suum cum titulis subscribere ausi sunt, in visitantium libro; sed hactenus publice obstinato silentio de rebus nostris siluerunt.

Iuvabit insuper in medium scriptorem referre alterius ephemeridis, cui est nomen « Populi diarium ». Hic enim quotidianus, quum primum apud nos Carolus Albertus rex libertatem populis concessit, insana subito animi pravitate inter Subalpinos prope amens invadens, religionem oblatterare coepit, in Pontificem Maximum invehere, atque in publicum populorum Parentem studia tunicati popelli conviciis, calumniis atque impotentia per tot tempora excitare. Ad haec, Patrem nostrum, quem adhuc ingemiscentibus omnibus mortuum ignorat, nunc ipsum pietatis auctorem commendat, eum vindicem morum praedicat, apud Italos hac potissimum re felicem disciplinarum in artibus restitutorem salutat ac propterea inter praclarissimos populorum magistros ad numerandum esse putavit. Idem, egregias puerorum magistrorumque virtutes admiratus, pueros vel ingenio, linguis, disciplinis, moribus dissonos hac lege divino nomine fretos posse in unum consensum ad patriae salutem coalescere apertissime praedicat.

Hisce positis, ingredere, fortunate hospes, et propius accede! Haec propemo-

dum verba tibi longe salutarius profert Priapus quidam, qui prae manibus ligonem tenens, et tenuiorem barbam in superiore labro, qua sint in campis ueste tirones induendi apertissime monet.

Se se ad opus accingere solemniter dicebant veteres; recentiores e scholis exeuntes ad agros colendos rusticam uestem aptiorumque induunt. Unum adest sedile, ibique modo, si illud detexeris, parvula vestiaria arca apparet, quae quidem mundus agricolarum modeste appellari potest, ubi rusticis vestitus commode condi consueverunt. Est utique res parvula, quae vel tacite pueris munditiem suadet. Hic prope congregatim multa videntur ac communiora artis instrumenta.

En tandem primum scholarum concclave!

Res agraria omnis in seminibus posita est et dominatur. Est in ampullis mira sane varietate « laetum siliqua quassante legumen »; vides et viciam vitemque phaselum. Ibi est insuper specimen de singulari frumenti generibus, quod in diversis Italiae partibus colitur, quodque completius crescit atque fructuosius.

Tibi adeundi, festivo vultu, Vergilius dicit:

Agricolae, fructusque feros mollite colendo.

Ab illa aurea aetate quot in melius inventa! Ac propterea Italia, quae olim erat magna parens frugum, nunc citra invidiam ab exteris quoque nationibus multam sibi utilitatem exquirere studio potest. Sicque alumnus noster accipit, frumentum patrium, quod mirum in modum alii cum seminibus aliunde conquisitis commiscere studuerunt, felicissime crescere. Hinc si olim « molli paulatim flavescit campus arista » in nostris campis arista virescens super validiori culmo, vel contra ventos adeo segeti noxios resistit, ac pluvias primo vere frequentiores.

(*Ad proximum numerum*).

I. B. FRANCESIA.

PRO IUNIORIBUS

II.

**Sardinia,
et Romana respublica.**¹

Bello primo poenico confecto, *Sardinia* penes reipublicae potestatem subest; Carthago tamen saepe saepius eam recuperare conatur, aut seditiones excitans aut bellum inferens. Verum semper infaste res sibi cesserunt. Lucius enim Cornelius Scipio Poenos omnino fugavit multaque millia captivorum adduxit, et triumphum egit, quod Silius his celebrat versibus:

*Scipio duxoris celebrabat funera Poeni
Sardoa victa terra.*

Sardi autem, teste Polybio, aegre novum ferunt regimen, licet Poeni Sardiniam deseruerint. Arrepta occasione clavis Cannensis, Hansicora, Sardiniae princeps, iugum Romanum excutere cupiens, clam legatos misit, qui Carthaginensibus nunciarent « in Sardinia parvum Romanorum exercitum esse, obiisse praetorem Cornelium, novum exspectari, Sardos malo imperio et gravibus oppressos vectigalibus, cum iniqua frumenti collatione, deficer paratos esse, si a Carthaginensibus adiuvantur ».

Quo nuncio excepto Hasdrubalem Calvum Poeni eligunt, cum ingenti classe et legionibus, mittuntque in Sardiniam.

Respublica id ubi cognovit, iterum T. Manlium Torquatum cum fortissimo exercitu et magno navium numero iubet; qui in portum Kalaritanum appulit.

Dum Hansicora suas cum Poenorum copiis coniungere studet — delectum enim habuit apud Sardos Pellides — ad hostem romanum profligandum, Hiostus filius in-

¹ Cfr. num sup.

¹ Italice *La Gazzetta del Popolo*.

¹ Cfr. num, sup.

tempestive sub Manlii accessum castris ad proelium egreditur, nec magno certamine fusus, necatusque fuit, fugatis et distractis eius copiis. Qua clade Hasdrubal aliquie duces Carthaginensium capti, et Hansicora, audit a filii nece, mortem sibi concivit.

Partam victoriam Manlius Patribus nunciavit, qui insulam deinde cum duarum legionum praesidio, sub praetoribus, custodiendam curarunt, classemque ad ora tuenda posuerunt prae rebellionum novarum timore, seu Poenorum incursionum.

Romana provincia facta, a praetoribus Sardinia regebatur raro bene; immo vero semper pessime; excipiendi vero Actius Balbus, pro quo gens Sardoa grata numisma fudit memorativum; M. Portius Cato, qui interdixit foeneratores voracissimos, atque magnos sumptus quos facere soliti erant socii in cultu praetorum; C. Gracchum, qui rem Sardoam innocens gessit cum plausu et grata memoria.

Contra, odio prosequuta est Marcum Scaurum, repetundarum accusatum, deinceps a Tullio defensum, qui celeberrima oratione maxima inussit infamia nostram insulam, nihil tamen pendenda; nam advocatis sicut et poëtis omnia licent pro clientum defensione. Itaque perbelli aptari Tullio potest illud Ovidii:

Causa non bona patrocinio peior erit.

Uno verbo, praetores fere venales mitabantur; pecuniarum cupidissimi, omnia susdeque necabantur, et eorum mala agendi ratione seditiones plurimosque tumultus conciebant, unde C. Gracchus, Livio auctore, ex Sardinia redux potuit ad populum Romanum hanc habere concessionem: « Versatus sum in Provincia quomodo ex usu vestro existimabam esse, non quomodo ambitioni meae conducere arbitrabar. »

« Profectus Roma cum zonis argento plenis, eas ex Provincia inanes retuli.

« Alii vini amphoras, quas plenas tulerunt, eas argento plenas domum reportarunt ... ».

Abstinentia rara! magnopere laudanda atque aerarii publici administris enixe optanda!

Qua de causa, iterum Popilio Lena Praetore, Sardi deficiunt, et ab Senatu Titus Sempronius Gracchus cum magna navium copia et duabus legionibus in Sardiniam transvehere iussus est, ad rebellionem perfringendam atque perdomandam.

Sardinenses acriter pugnarunt; verum tanta virtus et haec postrema tentamina devicta fuerunt a Romanis Victoria gloriissima, de qua Gracchus Victor scripsit per legatos ad Senatum, hunc adprecans de rebus prospere gestis gratias referre Diis immortalibus. Quo factum est ut Provincia inter consulares recenseretur et biennio post in aede *Matris Matutiae* posita a Senatu tabula fuerit, in qua Sardiniae forma erat cum hoc indice:

« Tib. Sempr. Gracchi - consulis - imperio - auspicioq. - legio - exercitus P.R. - Sardiniam subegit - In - ea - Provincia - caesa - aut - capta - supra - octoginta - millia - Res - felicissime gesta - exercitum - salvum - atque incolumen - plenissimum praeda - domum reportavit - iterum - triumphans - Romam - rediit - Cuius rei ergo - hanc - tabulam - dono - Iovi - dedit ».

Haec omnia tradit auctor quintae Decadi.

Ex quo tempore Sardi quietam egerunt vitam regimini romano assueti, et ita in republica versati sunt, ut semper optimatum partes sequerentur procul a civilibus fluctibus, neve iactarentur ab odio factionum; quare modo Syllae, modo Pompeo, modo Caesari parent, quique omnes ex Sardinia rem trahunt frumentariam ad levandam in angustia annonae

copiarum famem. Iure meritoque a Livio *Romae horreum* vocatur, et egregie Horatius *Carm. I.*, cecinit:

*Optimae
Sardiniae segetes feraces.
(Sequetur).*

MAURUS SALE.

ANNALES

Poloniae victrices lauri.

Quae vota ab Urbe ipsa nostra per universum orbem Superis elata sunt, ut Poloni, turpiter a Bolscevicis lacerati, sua virtute ac caelesti ope hostili praeda, contra, spoliisque hostium potirentur, sunt tandem admissa: hodie enim nuntiare licet nobilem eos et magnificum de aggressoribus triumphum reportasse, duce illo Pilsudski, cuius nomen inter fortissimos Poloniae viros merito adscribetur. Eius enim consilio Polonorum exercitus, fidenti animo, improviso et mirabili impetu signa undique in hostem convertit, atque primum fregit ad Bug flumen, iuxta quod eousque processit, ubi flumen illud cum Narew confluit. Dum h̄c opportune munitur ac solidatur, acies aliae D.inziae fauces tutas sibi reddunt, Kownoque, Grodno, Ossovics, Bialistok urbibus receptis, in Galitiam vertunt, ad tuendam Leopolim. Exercitus deinde primus, Zambrow Majowec regione occupata, ad meridiem Bialostok oppidi Narew flumen superat magnisque itineribus hostem in fugam versus persequitur, vexat, dissolvit, lateque fundit. Interim aliis copiis cum Ukrainis consociatis Danaster flumen transitur; ad Borysthenem autem Wrangel dux pugnat, auctus, uti iam diximus, favore Gallorum, qui, usum belli habentes, et ipsis Polonis consilio suo non defuerunt. Contra huiusmodi victorias Budenny, Bolscevicorum dux, in Zanovec regionem agmina

sua transducere conatur; at frustra; inde enim pari clade est acceptus; iamque Galitiae quoque ex finibus excedentes Bolscevici, in interiore Russiam incompositae sese recipiunt.

Pace, quam brevi confidimus sequutram, haud abutetur profecto nobilissima Polonorum gens, quae integri animi sui testimonium protulit novissimum in finitimum Lithuaniae populum, qui territorium recens invasit a Versaliensi foedere illic Poloniae attributum. Non enim ad arma concurrerunt Poloni, sed ad societatis nationum consilium appellarunt, ut rem componeret.

Bene quidem; sitque iis bonum faustumque!

**

Bolscevicarum facinora.

Rebus in patriam tam misere ruentibus dictitant imo et rebellionem in tam ferum tamque insanum regimen per Russiam serpere - Leninus ille, Bolscevicarum princeps, ad occidentales populos satellites suos mittit, qui auro factiosos homines corrumpant, ut cives suos res cuiusque populi evertant, et ad « communismi » quam nuncupant, formam adducant. Inde praesertim convulsiones quae unam vel alteram nationem nuper turbarunt, Angliam praesertim atque Italiam nostram, illic per cuniculorum effossores, hic per metallorum opifices. Discrimina tamen ex rei publicae gubernatorum prudentia composita sunt, atque speramus fore ut cives tum nostri, tum externi cuiusvis gentis, ex ardelionum tricis nunquam decipientur, ne suam ipsi in perniciem miserrime ruant.

**

Motus alii passim.

Non tamen motus isti occidentales populos tantum perturbarunt: fuerunt etiam in Hispania, atque graviter magis in Hi-

bernia, libertatem suam acrius in dies requirente, ob Mac Swiney, Cork urbis praefectum, in vincula detrusum atque Bristol in urbem deportatum; qui invicto animo sese inedia confici paratur.

Quod si extra Europam convertimus oculos, dum «Civitatem Magni Libani» declaratam videmus, - cuius insigne erit Gallicum vexillum cum cedro in albo latere depicta et Beyruth urbs caput, - Enver illum agitatem, Turcarum principem, invenimus ad Indiam cum rebellium exercitu tendentem; rebelles pariter, induciarum fide neglecta, Armeniam depopulantes; neque minus in Anatolia Graecos cum defectoribus pugnantes.

Varia.

Interea de pace perficienda conventus sine intermissione perdurant: Giolittius, Italorum administratorum primus, Lucernae cum Lloyd George, Anglii gubernii praeside, colloquia habuit de Polonica, quemadmodum vulgatum est, Russica, Hadriaticaque illa vexata quaestione, ac deinde Aquis Sextiis cum Millerand, Gallici administratorum collegii praeside; qui deinceps, Paulo Deschanel ob malam valetudinem a munere sese abdicante, in supremum Gallicae reipublicae officium plurimis suffragiis est electus. Administratorum Gallici collegii praefecturam obtinuit Georgius Leygues.

Denique peculiari nota haud indignum ducimus Mariam Adelaidem ex gente Nassau, Luxemburgi Magnam Ducissam, quae per immane bellum imperium valide tenuit, eoque expleto, id, mense Ianuario MCMXIX, sponte tradidit Carolae sorori, optimam sibi partem elegisse Deoque sese in Mutinensi Karmelitarum virginum ex calceatarum coenobio, hoc Septembri mense, devovisse.

Kalendis Octobr. MCMXX.

POPULICOLA.

VACUI TEMPORIS HORA

In superiore numero aenigmatum amatoribus carmen explanandum proposui de vermbus sericariis; neque tum cogitabam animal alterum exstare, quod de filiis bombycinis cum iis contendere posset. Atqui hoc in Madagascar insulis vivit, estque ei **Hálabé** nomen. Ex aranearum familia, foemina, tamquam mulier frugi, mirifice serica stamina dicit aurei coloris, lucemque ita reverberantia, ut stupeat acies; eaque tenuissima at simul tenacia magis quam quae a sericariis vermbus in inferiori Gallia nentur. Quin imo hanc proferunt insuper eorum utilitatem, ut ne carminazione quidem neque versatis fusis egeant: scilicet quem ad modum a magno illo insecto - quod longitudinem centimetrorum septem vulgo exaequat - comparantur, ad texturam mittuntur.

Huiusmodi Hálabé ad plura decies centena millia turmatim vivunt in Madagascar nemorosis regionibus, prope Tananarivo praesertim, ubi ab incolis illis vili pretio veneunt; neque timor est ne inde emigrant: vitam enim umbratilem amant, neve loca, in quibus deponantur, fugiunt unquam: satis est arundines brevi ordine dispositas circa Hálabé araneas collocare, ut eae pacifice inter unam et alteram serica sua confiant.

Pulcre, bene, recte! Habemus igitur unde in tanta rerum inopia et caritate vestes, easque sumptuosas, nobis facile comparemus. Profecto a domibus nostris satis longe; at in hoc vertiginoso pretiorum ascensu, equis dixerit numne premium itineris ad Madagascar maius nunc sit, quam vestis premium apud sartorum nostrorum quamlibet officinam?

His vindemiae ac uvarum diebus haud alienum ab re est repetere quae rustici de caelesti vinearum custode tradunt.

Hic est Sanctus Urbanus, quem narrant uvarum fructu ita, dum viveret, deleciari, ut vitem ipse in parvo suo horto severit, magnoque animi desiderio exspectaret, dum racemos emitteret. Ecce autem, tres post annos, racemos primus tandem oritur, iamque in eo est ut matus ad manducandum fiat. Equis dixerit Urbani laetitiam, qui iam exspectatae uvae saporem praegustat?...

Quadam vero die ad Urbanum accedit vetulus quidam, vultu macer ac sordida veste, stipem emendicans.

— Quid tibi donem - inquit Urbanus - qui pauperimus et ipse sum, neque obolum possideo?

Cui mendicus:

— Racemum saltem illum ex vite pendentem esurienti mihi recusaveris?

Urbanus angitur animo; sed qua est misericordia nihil cunctatus:

— Eia igitur - ait - si tibi sat est, atque placet, carpe.

Senex racemum evellit, disceditque fausta omnia benevolentissimo viro suisque rebus a Deo adprecatus. Urbanus paullo post in scamno sedens somno corripitur; dumque expurgescitur ... an oculis credat?... pampini ita uvis onusti sunt, ut ad terram usque deflectant: Deus scilicet singulari praemio fuerat remuneratus Urbani in egenos caritatem; qui subinde ex illo tempore magis magisque uvam vitesque dilexit, et vita hac cum immortali commutata, a villicis vinearum protector est factus.

**

Iocosa.

Magister Tuccio grammatices periculum agenti:

— *Echo* nomen est masculini an foeminei generis?

Tuccius prompte:

— Foeminei prorsus, nam ultima semper dat verba.

Tuccio in quodam pago rusticanti nunciant telegramma ad ipsum inscriptum pervenisse.

— Mihi telegramma inscriptum?... Impossible prorsus; domi meae enim ignotae huiusmodi litterae sunt.

Quum vero publicus cursor institerit, is explicato folio scripturaque inspecta:

— Nonne praevideram? - addit. - Haec scribendi forma neque patris, nec aliis ex familia mea est.

Atque telegramma superbe reddit tradenti.

Aenigmata.

I

(*vulgo Rebus*)

VIRTUS

II

Incessu gradior lento passuque recenti;
Non geminis, uno sed pede calco vias.

Saepe manus inter binis ego protegor armis,
Auro munitus totus et aere simul.

Tanta meum stringit vehemens angustia pe-
[ctus,

Quanta meis prohibet passibus ire semel.
Incedo quum pando sinum, parioque iuva-
[men

Arrecto gyros dum pede calco novos.
Postea dum gyris variis ego prata pererro,

Unum dumtaxat tunc ego duco pedem.
Interea fixus remanet vix mobilis alter:

Non prosum, planta si premo utraque vias.
Dum mea mens patitur varios in vertice gyros,

Tunc agitat corpus dextra aliena meum.
Quod mea demonstrent gressu calcanea men-

[tem
Non est mirandum: quis tenet ossa stupor?

(Aenigmata in superiore fasciculo proposita his respondent: 1] (*vulgo Rebus*)
Super aspera ad astra; 2] *Vermes sericarii*.)

IOSFOR.

ROMA SACRA

SSMI D. N. Benedicti PP. XV litterae encyclicae de S. Hieronymo Ecclesiae Doctore.

Natali millesimo et quingentesimo appropinquante S. Hieronymi, Catholicae Ecclesiae Doctoris praestantissimi, Benedictus XV amplissimas edidit encyclicas litteras, quarum summam tantum referre, spatii angustiis preventibus, nobis hic licet.

Quum itaque Pontifex in primis animadvertisset a Spiritu Paraclito, quum genus humanum, ut arcanis divinitatis imbueret, sacris Litteris locupletasset, sanctissimos doctissimosque viros, labentibus saeculis, non paucos fuisse excitatos, qui non modo caelestem illum thesaurum iacere sine fructu¹ non sinerent, sed suis et studiis et laboribus *consolationem* inde *Scripturarum* Christifidelibus uberrimam compararent; in iisque principem sane, communi omnium consensu, locum obtinere Sanctum Hieronymum, « quem Doctorem Maximum Sacris Scripturis explanandis divinitus sibi datum catholica agnoscit et veneratur Ecclesia », cuius ab obitu plenum proxime quintum et decimum saeculum commemorabit; nolle se singularem opportunitatem praetermittere declarat, quin de Hieronymi in scientia *Scripturarum* laudibus ac promeritis data opera alloquatur. « Conscientia enim – ait – apostolici muneri impellitur, ut, ad nobilissimam hanc disciplinam provehendam, insigne tanti viri exemplum ad imitandum proponamus, et quae fel. rec. predecessores nostri Leo XIII et Pius X monita et praescripta hoc in genere utilissima ediderunt, eadem, apostolica Nostra auctoritate, confirmemus et ad haec Ecclesiae tempora pressius aptemus. Etenim Hieronymus vir maxime catholicus et sacrae legis peritissimus² atque catholicorum magister³ itemque morum exemplar

mundique magister¹ quum catholicam de Sacris Libris doctrinam mirifice illustrarit acriterque defenderit, documenta sane plurima, eaque gravissima, nobis affert, quae quidem usurpando, filios Ecclesiae universos, clericos potissimum, ad *Scripturae* divinae reverentiam, cum pia lectione assiduaque commentatione coniunctam, hortemur ».

Revocatis deinde Hieronymi gestis dum viveret, ad considerandam eius doctrinam de divina dignitate atque absoluta *Scripturarum* veritate venit. « Qua in re nullam profecto in Scriptis Doctoris Maximi paginam reperias unde non liqueat, eum cum universa catholica Ecclesia firmiter constanterque tenuisse, Libros Sacros, Spiritu Sancto inspirante conscriptos, Deum habere auctorem, atque ut tales ipsi Ecclesiae traditos esse »; ² quod pluribus Hieronymi sententiis, probatur; itemque « cum divina sacrorum Librorum inspiratione summaque eorumdem auctoritate immunitatem et omni ab errore et fallacia vacuitatem necessario cohaerere ». Qua quidem doctrina egregie confirmantur atque illustrantur ea quibus Leo XIII antiquam et constantem Ecclesiae fidem sollemniter declaravit de absoluta *Scripturarum* a quibusvis erroribus immunitate. ³ Atqui illa verba quamquam nullum relinquunt ambigendi vel tergiversandi locum « dolendum tamen est ... non modo ex iis qui foris sunt, sed etiam e catholicae Ecclesiae filiis, immo vero ... ex ipsis clericis sacrumque disciplinarum magistris non defuisse, qui, iudicio suo superbe subnixi, Ecclesiae magisterium in hoc capite vel aperte reiecerint, vel occulte oppugnarint. Evidem – addit – illorum comprobamus consilium, qui ut semet ipsos aliosque ex difficultatibus sacri codicis expediant, ad eas diluendas, omnibus studiorum et artis criticae freti subsidiis, novas vias atque rationes inquirunt; at misere

¹ CONC. TRIDI, s. V. decret. de reform., c. 1.

² SULP. SEV., *Dial.*, 1, 7.

³ CASS., *De inc.*, 7, 26.

¹ S. PROSPER., *Carmen de ingratis*, v. 57.

² Conc. Vat. s. III, *Const. de fide cath.*, c. 2.

³ Litt. Enc., *Providentissimus Deus*.

a proposito aberrabunt, si ... praescripta illa neglexerint et certos fines terminosque a Patribus constitutos praeterierint. Quibus sane praecepsit et finibus nequaquam recentiorum illorum continetur opinio, qui, inducto inter elementum *Scripturae* primarium seu religiosum et secundarium seu profanum discrimine, inspirationem quidem ipsam ad omnes sententias, immo etiam ad singula Bibliorum verba pertinere volunt, sed eius effectus, atque in primis erroris immunitatem absolutamque veritatem, ad elementum primarium seu religiosum contrahunt et coangustant. Eorum enim sententia est, id unum, quod ad religionem spectet, a Deo in scripturis intendi ac doceri; reliqua vero, quae ad profanas disciplinas pertineant et doctrinae revelatae, quasi quaedam externa divinae veritatis vestis, inserviant, permitti tantummodo et scriptoris imbecillitati relinqui. Nihil igitur mirum, si in rebus physicis et historicis aliisque similibus satis multa in Bibliis occurrant, quae cum huius aetatis bonarum artium progressionibus componi omnino non possint. Haec opinionum commenta, sunt qui nihil repugnare contendant... (Leonis XIII) praescriptionibus, quum is hagiographum in naturalibus rebus secundum externam speciem, utique fallacem, loqui declaraverit. Id vero quam temere, quam falso affirmetur, ex ipsis Pontificis verbis manifesto appareat. Neque enim ab externa rerum specie, cuius rationem esse habendam, Leo XIII, praeeuntibus Augustino et Thoma Aquinati, sapientissime edixit, ulla falsi labes divinis litteris aspergitur, quandoquidem sensus in iis rebus proxime cognoscendis, quarum sit propria ipsorum cognitio, minime decipi, dogma est sanae philosophiae ». Praeterea Leo XIII « quovis inter elementum primarium et secundarium, uti vocant, remoto discrimine omnique ambiguitate sublata, luculenter ostendit, longissime a vero abesse illorum opinionem qui arbitrantur, de veritate sententiarum quum agitur, non adeo exquirendum quaenam dixerit Deus, ut non magis perpendatur quam ob causam ea dixerit; idemque docet divinum afflatum ad omnes Bibliorum partes, sine ullo delectu ac discrimine, proferri, nullumque in textum inspirationum errorem incidere posse: at nefas omnino fuerit, aut inspirationem ad aliquas tantum

Sacrae Scripturae partes coangustare, aut concedere ipsum errasse auctorem ».

Neque minus ab Ecclesiae doctrina, Hieronymi testimonio ceterorumque Patrum probata, ii dissentunt, qui « partes *Scripturarum* historica non factorum *absoluta* inniti veritate arbitrantur, sed tantummodo *relativa*, quam vocant, et concordi vulgi opinione: idque non verentur ex ipsis Leonis Pontificis verbis inferre, propterea quod principia de rebus naturalibus statuta ad disciplinas historicas transferri posse dixerit... ». Atvero is « id quidem non universe statuit, sed auctor tantummodo est, ut haud dissimili ratione utamur ad refellendas adversariorum fallacias et ad historicam Sacrae *Scripturae* fidem ab eorum impugnationibus tuendam ». Quod si novarum rerum fautores eo procedunt, ut Doctorem Stridoniensem ad sententiam suam defendendam invocent, ad sua commenta prorsus detorquent verba Hieronymi, cuius doctrina, de praestantia et veritate *Scripturae*, « ut uno verbo dicamus, doctrina Christi est ».

Qua autem via ac ratione magnus *Scripturarum* thesaurus sit cum laeta boni exitus spe quaerendus, Hieronymus suo ipse exemplo indicat. Atque in primis monet, praeparationem diligentem affectamque bene voluntatem ad eiusmodi studia afferamus; animos igitur iam pietate ac demissione comparatos, ad Bibliorum studium invitat, omnibusque iterum iterumque cotidianam verbi divini lectionem commendat; scilicet ab hac communis lege nec matronas virginesque eximit. « Quem vero lateat, ex pia sacrorum librorum lectione quantum utilitatis ac suavitatis in animos rite compositos defluat? Ad Biblia enim quisquis pia mente, firma fide, humili animo et cum proficiendi voluntate accesserit, is eum ibi inveniet et comedet panem, qui de caelo descendit, et Davidicum illud in se experietur: Incerta et occulta sapientiae tuae manifestasti mihi ». ¹ Itaque Benedictus XV Christifideles omnes, auctore Hieronymo, vehementissime cohortatur « ut sacrosanta praeceptum D. N. Evangelia, itemque Acta Apostolorum et Epistolas cotidiana lectione per volutare et in sucum et sanguinem convertere studeant ». Sed, quum sacri codicis studium ab omnibus

¹ Ps., 50, 8.

fidelibus requirit Hieronymus, tum maxime requirit ab iis qui, « iugum Christi collo suo imposuerunt » et ad divinum verbum praedicandum divinitus vocati sunt.

Post haec, Pontifex Hieronymum inducit docentem quorsum sacrarum litterarum cognitio spectare, quidque debeat intendere. « Primum in iis paginis cibus quaerendus es; unde vita spiritus ad perfectionem alatur ... Deinde, ut res postulaverit, argumenta ex Scripturis petenda sunt quibus fidei dogmata illustremus, confirmemus, tueamur ». Quae autem sanctus Doctor habet de legibus in usu Bibliorum servandis, ea, ad interpretes quoque, maximam partem, pertinent. « Primo quidem monet, ipsa Scripturae verba per diligenter consideremus, ut certo constet quidnam sacer scriptor dixerit ..., tum vero, quae in verbis insit significatio et sententia ... Monet tamen, quum de quaerendo agitur eiusmodi interiore sensu, quemdam modum esse adhibendum, ne, dum spirituales divitias sequimur, historiae contempnere paupertatem videamur ».¹

Quod vero attinet ad exponendi et dicendi rationem, statuit Hieronymus « potissimum veritatem interpretationis retinendam esse et commentatoris officium esse non quid ipse velit, sed quid sentiat ille, quem interpretatur, exponere ;² adicere autem, grande periculum esse in Ecclesia loqui, ne forte interpretatione perversa de Evangelio Christi hominis fiat Evangelium.³ Deinde in explanatione sanctorum Scripturarum non verba composita et oratoriis flosculis adornata, sed eruditio et simplicitas quaeritur veritatis ».⁴

Postrema encyclicarum litterarum pars est de dulcibus fructibus, quos Hieronymus « de amaro semine litterarum » decerpit, in eam erecti spem - ait Pontifex - futurum, ut eius exemplo ad cognoscendam percipiendamque sacri codicis virtutem sacerdotes et fideles incendantur; ut tandem concludat: « Silet quidem vox illa (Hieronymi), cuius sonum a solitudine olim prodeuntem totus audivit catho-

licus orbis; sed scriptis suis quae per universum mundum quasi divinae lampades rutilant,¹ Hieronymus adhuc clamat. Clamat, quae sit Scripturarum praestantia, quae integritas et historica fides, quam dulces fructus earum lectio pariat ac meditatio. Clamat, ut ad institutum vitae christiano nomine dignum omnes Ecclesiae filii redeant, et ab ethnorum moribus, qui hac nostra aetate paene revixisse videntur, se immunes atque incolumes servent. Clamat, ut Petri cathedra, Italorum praesertim pietate et studio, quorum in finibus divinitus constituta est, eo sit in honore, ea fruatur libertate, quam apostolici munera dignitas atque ipsa perfunctio omnino postulant. Clamat, ut christiana illae gentes, quae ab Ecclesia Matre misere desciverunt, ad eam denuo confugiant, in qua spes omnis posita est salutis aeternae. Atque utinam his monitis obsequantur orientales in primis Ecclesiae, quae iam nimium diu a Petri cathedra averso sunt animo. Hieronymus enim, quum in iis regionibus viveret et Gregorio Nazianzeno Didymoche Alexandre usus esset magistris, orientalium aetatis suea populorum doctrinam ea complexus est pervulgata sententia: Si quis in Noë arca non fuerit, perierit regnante diluvio.² Cuius diluvii fluctus nonne hodie impendent ad omnia, nisi eos Deus avertat, hominum instituta destruenda? Ecquid enim sublato, universarum rerum auctore et conservatore, Deo, non corruat? Ecquid non pereat, quod ab se Christum, qui vita est segregari? Sed qui olim, discipulis comprehendantibus, mare turbatum tranquillavit, potest idem pulcherrima pacis munera exagitatae hominum consortioni restituere. In quo optuletur Hieronymus Ecclesiae Dei, quam quum peramanter coluit, tum a quavis adversariorum oppugnatione strenue defendit; idque patrocinio suo impetrat, ut, discidiis secundum Iesu Christi optata compositis, fiat unum ovile et unus pastor ».

¹ CASSIAN., *De incarn.*, 7, 26.

² Ep. 15, 2, 1.

C. DEL VECCHIO

¹ In Eccl., 2, 24 ss.

² Ep. 49 al. 48, 17, 7.

³ In Gal., 1, 11 ss.

⁴ In Amss., Praef. in 1, 3.